



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloquia, Et  
Cavillationes**

**Miletus, Vitus**

**Mogvntiae, 1593**

**VD16 M 5205**

Antiqua Virtute Et Religione Nobili Viro, Ac D[omi]no. D. Ioanni Svcardo A  
Cronberg, insignis Metropolitanae Ecclesiae Moguntinensis Scholastico, S.  
Albani Praeposito, Reuerendissimi & Illustrissimi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30094**

ANTIQUA VIRTUTE  
ET RELIGIONE NOBILI VIRO, AC  
Dño. D. IOANNI SVICARDO A CRONBERG,  
insignis Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinensis Scholastico,  
S. Albani Præposito, Reuerendissimi & Illustrissimi Domini  
D. VVOLFGANGI, Archiepiscopi & Principis Ele-  
ctoris Moguntin. &c. in Spiritualibus Vi-  
cario generali, &c.

**V**ANTIS hoc tempore, & quam horrendis  
errorum tenebris, Ecclesia Catholica ab  
eius traducatur & diffametur desertoribus,  
Reuerende Nobilis Domine, nemo est, qui cum dolore a-  
nimis passim non audiat, non legat, non miretur, non dete-  
stetur: Verba sunt Tilemanni Hesshusij, non postremi a-  
pud Lutheranos Ministri, eiusq; generi Olearyj, in libro,  
quem de Sexcentis Papistarum erroribus & mendaciis,  
ille scripsit, hic germanicè reddidit, ac S. P. Q. Erfordi-  
ensi, cum multis male de religione Catholica informato &  
persuaso, nuncupauit: Si omnium Sectarum, etiam diuersissi-  
marum, omnes errores colligas, in aceruum vnum, non inue-  
nies tam ingentem molem mendaciorum, atq; in solo Papatu,  
qui fingendi, errandi, mentiendi & blasphemandi libidine &  
protervia, non solum singulas, easq; pessimas sectas, vt Arrianā,  
Manichæā, Sabellianā, Gnosticorū, Nicolaitarum, Pelagianam,  
Nestorian. & similes, sed omnes vniuersas supant. Quam etiam  
ob causam sexcentos illos, de diuersis fidei nostræ capitulo-  
bus coaceruarunt & ediderunt errores, quibus Catholicos hor-

XII rendis,

## PRÆFATIO.

rendis (ut loquuntur) blasphemis, impudentissimis mendaciis, abominandis & execrandis idolomanis, abusibus, & superstitionibus, non modo plenos, sed planè conuictos, se verò omni prorsus næuo conantur ostendere puros & detersos. Qua quidem haud leui aspergine, non pauci hætenui, iijq; nec vulgares omnino nec ignobiles viri, attoniti & deterriti, fidem & religionem omnium Maiorum suorum, non sine magna eorum ignominia, abiecerunt, nec abiecerunt tantum, sed acerbo quodam odio, tanquam pro DEI Verbo, & Evangelio zelantes, persequuntur. Quod quidem (cum sua cuiq; salus curæ sit & esse debeat, antè omnia) vitio ipsis vertineatiquam posset, si quos obiiciunt, & vulgo persuadent, male ipsi persuasi, errores escent, aut vlla veri specie solide comprobari possent. Admirabile verò est, homines omnium propemodum damnatarum sectarum, erroribus implicatos & suffocatos, eos erroris accusare & hæresis, per quos solos omnes omnium temporum annotatae & condemnatae fuerunt hæreses? & quos nulla vñquam ex omnibus retro sæculis ætas, nulla Concilia nulli Patres, nulli Theologi, nullæ Scholæ, nullæ Ecclesiæ, nullæ hæresis alicuius notarunt historiæ. Scribit hoc eodem quem citavi, libro Hesþusius, omnes antiquorum errores & hæreses, cum suis diligenter annotasse auctoribus Philastrium, Epiphanium, Augustinum, Theodoreum, & alios, quorum tamen nullus (ut iste) Pontifi-

## P R A E F A T I O.

Pontifices vel Pontificios hæreticos, nullus dogmata eorum dixit hæretica, quin probarunt ista, improbarunt & damnauerunt cæterorum omnia. Et Augustinus quidem omnium errorum & hæreticorum oculus perspicacissimus, & malleus fortissimus, adeò non censuit Papatum hærem, vel Pontifices Romanos esse hæreticos, ut vel ex sola horum successione veram fidem agnoscendam & contra hæreticos docuerit esse defendendam. Verba eius sunt:

Venite fratres, si vultis, & inseramini in vite, dolor est, cum vos videmus præcisos ita iacere, numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrū quis cui successerit videte, ipsa est Petra, quām non vincunt superbæ inferorum portæ. Et alibi. Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedet, & in qua hodiè Anastasius sedet? vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Iacobus sedet, & in qua hodiè Ioannes sedet? quibus nos in Catholica veritate connectimur, & à quibus vos nefarioscelere separastis? Quare appellas Cathedram pestilentia, Cathedram Apostolicam? si propter homines, quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus Iesus Christus, propter Pharisæos, de quibus ait: Dicunt & non faciunt, Cathedræ, in qua tedebant, ullam fecit iniuriam? nonné illam Cathedram Moysis commendauit, & illos seruato honore Cathedræ redargiri? ait enim, Super Cathedram Moysis sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt: Hæci cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedræ Apostolicam, cui non comunicatis.

Idem Irenæus, idem Patres, nullo excepto, reliqui. Præter Cathedram & Ecclesiam Romanam, singulæ, quæ per orbem, à Christo & Apostolis constitutæ sunt Ecclesiæ, suas habent, & ostendunt origines, & Episcoporum successio-

*In Psal. contra  
part. Donat.*

*Lib. 1. cont. lib.  
Petil. cap. 5<sup>to</sup>  
Vid. eund. epist.  
165. lib. 2. con.  
Iulian propterfin.  
Et lib. 3. c. 17<sup>o</sup>  
libr. 4. cont. 2.  
epist. Pelag. c. 32<sup>o</sup>*

*Matt. 25<sup>o</sup>*

*Iren. lib. 3. c. 4<sup>o</sup>*

)( 3 nes no-

## PRÆFATIÖ.

nes notissimas, nullum in his Confessionis ipsorum Superintendantem, nullum Episcopum, nullum Ministrum, nullum inueniunt Diaconum, omnes Catholici, omnes fuere Pontificij. Numerat ipsa, de qua suam denominari voluerunt Confessionem, illustris Ciuitas Augustana, plurimos ab eo, quoad Christi fidem conuersa est tempore, succedentes sibi in Cathedra Augustana Episcopos, pios, doctos, nobiles, illustres, eorum nullus Augustanam, omnes approbarunt, docuerunt & tradiderunt Confessionem Catholicam. Nobilissimæ sunt vetustissimæq; per Germaniam nostram, totumq; Imperium Romanū familiæ plurimæ, à quibus, passim ipsas fundatas, dotatas, gubernatas & conseruatas accepimus Ecclesias, ex his omnibus, si etiam ad origines suas aciem intendant annosissimas, nullum Lutheranum, nullum Caluinianum, nullum producturi sunt Zwingianum, omnes fidem nostram & religionem Catholicam, non modo tenuerunt, sed armis quoq; defenderunt, & sanguine suo, tanquam sigillo & chyrographo obsignatam & confirmata nobis reliquerunt. Multæ magnæq; & graues non raro Imperatoribus Romanis, cum Romanis intercessere Pontificibus, ob quas excommunicati ab his illi, & ab illis grauia perpeſſi sunt isti, nulli propterea fidem deseruerunt & religionem Maiorum suorum & nostrorum Catholicā; Hanc solam, ut Verbo Dei consentaneam, omnes omnium temporum asseruerunt P̄tifices, defenderunt Imperato-

## PRÆFATIO.

ratores, propugnarunt Reges & Principes, tradiderunt Patres, prædicauerunt pastores, suscepserunt gentes, approbarunt Magistratus & iudices: An ergo omnium, non solum Pontificum & Episcoporum, sed Regum quoq; & Imperatorum Romanorum, omnium Principum & Magistratum, omnium Patrum & Conciliorum, atq; adeò omnium populorum & Christianorum consensione & calculo, sola Catholicorum vera, omnis aliorum, quocunq; etiam Propheticarum & Apostolicarum scripturarū colore præfulgeat, vera non est fides & religio? Mitto quæ in hanc rem, & dici possent, & ab aliis dicta sunt plurima. Ex quibus sic loco quodam, quem omnes sibi patronum consti-  
Lib. 22. Civit.  
cap. 6. & 8.  
tuunt, ratiocinatur August. Aut credibilia credidit mun-  
dus, aut incredibilia credidit mundus, si credibilia totus  
credidit mundus, videant quām vesani sint, qui nec cre-  
dibilia quidem credunt, si autem incredibilia credidit mun-  
dus, hoc longè incredilius est, totū incredibilia credisse  
mundum. Quia tamen incredibili credulitate, contra omni-  
um fidem & rationem, simplicibus, & sibi quanis etiam ra-  
tione persuadent, erronea esse, quæ Pontificij à Maioribus  
credita & accepta docent, ea verò, quæ nulli ynquam post  
Apostolos vel tradiderunt vel cre diderunt Christiani, non  
esse erronea, sed ipsum Dei Verbum & Euangeliū, ope-  
ræ pretium sum arbitratus, si refutatis sexcentis illis, quos  
maiori ex parte in Pontificios confinxit Hesshusius,  
vanis

## PRÆFATIÖ.

vanis erroribus, causisque quibusdam generi sui Oleary, ob quas ab Ecclesia Romana facienda sit secessio, longè vanioribus, hos eorum, vel de solis Sacramentis vaniloquos errores opponerem, plures de aliis fidei capitibus editurus propediem, quibus omnes eorum & libri scatent, & sermones miscentur, tam publici quam priuati, vix enim dici, vix potest credi, quam multa configant in Pontificios? quam sine causa cauillentur & calumnientur multa? quam ex composito, alium in sensum, eorum trahat, depravent, & inuertant dogmata? quam multa vana? quam multa multoties refutata & protrita obiiciat & recudant? quam vehementer & inaniter, ubi de antiquitatis agitur testimonio, de Prophetis, de Apostolis, de Conciliis, de Patribus, de omnibus Orthodoxis glorientur & Ecclesiis, quos tamen omnes, si in medium producas, eos cum Pontificiis errasse, respondeant? quam denique ( ut cætera taceam ) acerbè, quam odiosè, quam iniquè criminentur, Pontificios nullam prorsus sacrarum scripturarum ( quas tamen aliunde non acceperunt, quam à Pontificiis ) habere rationem, nullam curam, nec pluris eas aestimare, quam vel Aësopi vel Luciani fabulas, proculcare eas, abolere, sepelire, depravare, augere, minuere, ac veluti nasum quendam cereum, in quam velint figuram & formam, pro libitu inflectere? & similia commenta & figmenta, à Pontificiis nec asserta, nec audita, infinita? cum si rem spectes, & veritatem,

## PRÆFATIO.

ritatem ipsam, id planè doceant & faciant, quod de Pontificiis, à quibus descinerunt, & scriptitant & dicitant, nullam prorsus sacrarum scripturarum certum Canonem, nullam certam Versionem, nullam certam habentes vel admittentes interpretationem, suo omnia (non Patrum, non Conciliorum, non aliorum) metientes ingenio, decernentes arbitrio, & comprobantes testimonio: quod alio à me libro vt cung, demonstratum est, & demonstrabitur isto, in quo, si quæ fortè repetentur sèpius, non numeri, sed rei & ordinis causa, & quod ab ipsis eadem repetatur quam sèpissimè, factum putent, tamet si diuersa plerumq; ratione, quæ idem videntur & sonant, afferantur. Nec me fugit, non desuturos, qui vel omnia reprehensuri, vel desideraturi sint aliqua, maximè, qui quæ voluerint, non omnia legerint. Sed hæc pro tempore, quantum vel licuit, vel fieri breuiter posuit, sufficere magis, quam Jatisfacere volui, pro renata singula & tractaturus fusi, & explicaturus distinctius.

**T**Ibi verò Suicarde, auita Maiorum tuorum religione & nobilitate viro laudatissimo, ut hoc, quicquid est laboris vel operis nuncuparem, tuus fecit in religionem Catholicam zelus singularis, tua virtus, tua pietas, tuus in me summa cum benevolentia haud vulgaris, in eos verò, qui tibi vel affinitate iuncti sunt vel nobilitate, ut una tecum fideli societate iungantur & saluentur, amor maximus, neque :

enim

## PRÆFATIO.

enim te vel exoptare amplius, vel à Deo flagitare quicquam  
video feruentius, quam, ut quos antiqua nobilitate & con-  
sanguinitate cognatos habes, noua fide & religione non pe-  
reant, nec alia sibi via cœlum inquirendum, ingrediendum  
persuaderi sinant, quam qua suos laudatissimos, Maiores fe-  
liciter præcessisse, & gloriösè peruenisse vident, qua vtique  
nunquam peruenissent, si alia esset, vel unquam fuisset, cum  
**Ephes. 4.** Vti D E V S unus, ita non est, nec unquam fuit, aut erit,  
nisi fides una. Quod enim quidam, nescio quam Euangelij  
lucem, è scaminis & tenebris prætendunt erutam, planè te-  
nebras offundunt, cum lucem fingant, quam nemo hominum,  
post Apostolos in mundo conspexit unquam: latere autem  
vel obscurari penitus nequaquam potuisset, si ea, quam Chri-  
stus, non sub modio, sed super candelabro accedit & posuit,  
**Matth. 5.** Ut omnibus, qui in mundo sunt, fulgeret & præfulgeret, lux  
**Mar. 4.** vera fuisset; proindè rectissimè sibi suèq; saluti consulunt,  
**Luc. 8.** qui spreta illa luce tenebrosa, eam sequuntur, quæ non solum  
**Ioan. 1. 3. 8.** præluxit, sed omnes Maiores eorum ad veram lucem, quæ  
**9-12.** Christus est, perduxit. Commemorandæ mihi hoc loco es-  
**1. Ioan. 2.** sent, quæ in te, præter antiquam & illustrem Cronbergio-  
rum nobilitatem & religionem, non amicis modò & fami-  
liaribus, sed exteris quoq; & Principibus viris notæ virtu-  
tes elucent plurimæ, Pietas, Humilitas, Comitas, Hu-  
manitas, Liberalitas, Æquanimitas, rerum experientia, Lin-  
guarum peritia, laborum, & molestiarum tolerantia, & er-  
ga omnes,

## PRÆFATIO.

ga omnes, etiam insimæ sortis homines, & egentes summa  
benignitas, & propensa beneficiandi voluntas. Sed scio, te  
id nec expetere, nec expectare, ac magis actione, quam ea-  
rum prædicatione vel commemoratione delectari & com-  
mendari, eas proinde ut omnibus notas facile prætereo, eas  
autem nōrunt, quotquot te nōrunt. Superest, ut quod animo  
scripsi, tuo nomine, hoc quicquid est, inscripsi, eo benigne  
suscipias, fateor <sup>equum</sup> esse, quod offero, tua longè minus  
dignitate, minus suis in me meritis, sed non ideò futurum in-  
gratum, ex animo profectum gratissimo, mihi plane persua-  
deo; Ea es enim animi moderatione & lenitate, ut nec exi-  
qua quidem & tenuia, si syncero ex animo ( quem semper  
& ubique magnificere, amare soles & tenere ) asperneris,  
quo quidem nomine & amaris ab omnibus plurimum, & a-  
maris meritò; Nec aliud addo: Id unum opto, id unum cum  
bonis omnibus iure Maiorum tuorum expeto, ut dum de o-  
mnibus benè mereri studes, Ecclesiam hanc, insignem no-  
bilitum virorum alumnam & altricem, cum ceteris eius  
haud minoris nobilitatis, virtutis & religionis Proceribus  
& Prælatis, vigilanti cura & solicitudine commendatam  
habeas, ne ( ut aliæ multæ ) nouis periclitetur religionibus,  
& equum est enim, ac vestra & Maiorum vestrorum lauda-  
tissimorum pietate dignissimum, ut in ea fide & religione  
Deo & Imperio Romano eam conseruetis, in qua ab illis  
fundatam, & summa semper cum laude conseruatam acce-

:)(: 2 pistis.

## P R A E F A T I O.

pistis. Quod ut fiat, is nobis est orandus, qui solus & unus  
largiri potest omnia, Deus O. M. qui te tuosq; & huius &  
eternæ donare dignetur felicitate Vitæ. Moguntiæ, ipsa  
Dominica Reminiscere, 14. Martyj, Anno salutis nostræ,

1593.

R. T. D.

Obligatissimus,

Vitus Miletus, S. Theolog. Doct.

Mille